



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XII. Maria quod Deus creat, recreat. Maria causat novarum  
creationum genera, & opera gratiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XII.

*Maria Mediatrice Creator denuò recreat mundum.*

**T**Ametsi juxta communem Theologorum sententiam, **Exordium.**  
 nulla creatura incarnationem verbi condignè pro-  
 mereri, aut suis precibus efficaciter potuerit obtinere,  
 docet tamen doctissimus Salmeron. tom. 3. tract. 6.  
 Verissimum esse, quod Virgo sacratissima ejusdem accelera-  
 tionem efficacissima oratione suâ, sit promerita, siquidem post  
 quinquies mille, & plures post mundi creationem elapsos an-  
 nos, ipsa sola dicere cum veritate potuit. *Congratulamini mi-*  
*hi, quia cum essem parvula, placui Altissimo, & de meis visce-*  
*ribus genui Deum, & hominem.* Ipsa sola à tot retrò sæculis  
 in universo humano genere digna inventa est, quæ tanti filii,  
 nempe Creatoris sui Mater fieret, quæ amissum ab homine  
 thesaurum, id est Deum, ejusquæ amicitiam, & gratiam rein-  
 veniret, salutem omnibus impetraret, & mundi totius repa-  
 rationem obtineret, ipsa sola usque in hanc horam, inter  
 Deum, & hominem potentissima mediatrix, cui filius nihil  
 denegat, ad cujus preces, Deus renovat hominem, & novis  
 salutis operibus Creator recreat mundum. Veritatem hanc  
 solatio nostro accommodatam, SS. Patrum sententiis com- **SS Patres.**  
 probemus. *Hæc est, qua totius mundi reparationem obtinuit,*  
*salutem omnium impetravit.* perorat S. Bernardus. serm. 4. de **S. Bernardus.**  
 Assumpt. Et iterum. homil. 3. super missus est. *Invenisti gra-*  
*tiarum apud Deum: quam gratiam? Dei & hominum pacem,*  
*mortis destructionem.* Et iterum. serm. super signum magnum.  
 Prudentissimus, & clementissimus artifex, quod quassatum fue-  
 rat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis  
 novum formaret Adam ex veteri, Evam transfunderet in Ma-  
 riam. *Invenisti gratiam* (inquit B. Albertus Magnus, in Lu- **B Albertus**  
 cam.) **Magnus.**



cam.) non creasti ut Deus, non rapuisti ut Angelus, non creasti ut Simon Magus, non abscondisti ut infidelis Doctor, non perdidisti ut Adam, sed restituisti potius, & cum illa omnem creaturam, & spirituales, & corporales. Virgo verè dicere potest in Jerusalem potestas mea. Nam in Ecclesia triumphans, & militantem potestatem habet Mater potentissima Creatoris. Speculo

S. Bonaventura.

ter S. Bonaventura. in speculo. Virg. cap. 8. Verè rerum creatorum Domina effecta est, cum Creatoris Mater exiit. defina

S. Germanus.

S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. orat. de oblat. Virg. Habes in caelis cum tuâ voluntate concurrentem potentiam

S. Joannes Damascenus.

ut quas Mater altissimi. loquitur S. Joannes Damascenus. de Deiparâ. Fecit tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in caelo, & in terrâ, & nihil tibi impossibile, & possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevarè. effraus

S. Petrus Damianus.

Petrus Damianus. ferm. 2. de Nat. Virg. Sicut Deus suâ potentia parando cuncta, Pater est, & Deus omnium; ita beata Genitrix Maria, suis meritis cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum: Deus enim est Dominus omnium, singularem naturâ, propriâ jussione constituendo; & Maria est Dominatrix singula congenita dignitati, per illam, quam meruit, gratiam

S. Anselmus.

restituendo. discurrit S. Anselmus. de excellent. B. V. cap. 1. Mater Domini omnis creatura, facta est Domina omnis creaturae igitur quia genuit Creatorem, Domina effecta est omnis creaturae

S. Bernardus Senensis.

ponderat S. Bernardus Senensis. ferm. 3. de glorioso nomine Mariæ. art. 1. cap. 1. Habes ut Mater in Filium, qua recipere non potest, fiduciam, habes vires insuperabiles, robur inexsuperabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nil tua resistit potentia, nihil tuis repugnat viribus, omnia cedunt tuo jussu, omnia tuo obediunt imperio, omnia tua potestate serviunt, te omnibus suis operibus reddit excellentiorem, est ex te natus & c. tuam enim gloriam Creator existimat esse propriam, & tamquam filius in eâ exultans, quasi exsolvens

S. Georgius Nicomedensis.

tum, implet petitiones tuas. concludit S. Georgius Nicomedensis. orat. de oblat. Deip. V. Hujus gratiæ potentissimo fuffragio innixi conceptus formabimus.

## CONCEPTUS I.

Inter varia Prophetica oracula, à sancto Isaia Prophetâ prolata, consideratione dignum est illud. *Et erit lux luna, sicut lux solis.* cap. 30. Adveniet tempus, quo Deus aliquid novi, mirabile operaturus est, admirandum producturus est prodigium, & est illud, quòd lux lunæ, luci solis assimilabitur. Summa ac maxima horum luminum est dissimilitudo, etenim sol præest diei, illam illuminat, & calefacit; luna præest nocti, & non tam efficaciter illuminat, non calefacit, nec semper lucet, aut splendet. *Fecit q̄ Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præset dies, & luminare minus, ut præset nocti.* Gen. 1. cap. Quomodo igitur fieri poterit, ut lux lunæ, sit velut lux solis? Non de luminaribus firmamenti, neque de elementari sole aut lunâ loquebatur vir Dei; aliam lunam diversumque solem Isaïas Propheta intelligebat: solem illum intendebat, quem Malachias Propheta confrater suus, Dei nomine hominibus promiserat, dicens: *Orietur vobis sumentibus nomen meum, sol justitia.* Christus JESUS. Lunam illam Isaïas putaverat, quæ à regio vate, *Luna perfecta in æternum,* dicitur Psal. 88. Mariam sanctissimam Dei Matrem, Virginem gloriosissimam, quam admirantes Angeli dixerunt. *Qua ista, qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Cant. 6. cap. De quibus Hugo Card. in cap. 1. *Luminare majus Christus, qui præest diei, id est justis, luminare minus Beata Maria, qua præest nocti, id est peccatoribus.* Non dicit Propheta: Luna mutabitur in solem, sed tantus erit lunæ lucis effectus, ut solis luci possit assimilari, id est, sicut creaturæ omnes à sole, & lunâ recreantur, & roborantur, ita principaliter à sole justitiæ Christo JESU, dein etiam à Mariâ Virgine Dei Matre pulchrâ, ut luna, tam militans, quam triumphans Ecclesia, augmentum gratiæ, ac robur temporalis & æternæ felicitatis adipiscetur: *ipsa est cæli, & terræ Mediatrix.* ait S. Epiphanius. ferm. de laud. Cujus potentissimâ intercessione novis gratiis, novis operibus, novis crea-

Confirmatio, seu Deductio.

creaturis, Creator recreat mundum, efficacissimo remedio, claudis gressum, cæcis visum, famelicis nutrimentum, egentibus auxilium, mortuis vitam, supernaturaliter contulit. Eleganter S. Petrus Damianus, serm. de Annuntiatione. *Per ipsam, & in ipsâ, & de ipsâ, & cum ipsâ, totum hoc mundum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit.* Mellifluè S. Bernardus, serm. 2. de Pentecostæ Evangelii latitiam, iustis gratiam, peccatores veniam invenimus aeternam; merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia tu & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, qui aqua creaverat, recreavit. Verè igitur Creatoris Mater, recreatrix istra est, Virgo Maria.

## CONCEPTUS II.

Recordemur ejus, quod narrat S. Joannes Evangelista cap. 2. Nuptiæ erant in Canâ Galilæâ, quibus intererat pater Virgo una cum Christo Domino, & dum maximè necessarium, vinum defuit, quare clementissima Virgo aliis necessitati, & miseræ præsentis succurrere volens, suum implorat, dicens: *Vinum non habent.* Sed respondit IESUS: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Quis non crederet verbis hisce petitionem Matri negasse, quin & filium Virginem objurgasse? Ac ut illi respondet S. Justinianus Martyr, explicatione quæst. 13. christi. posit. *Quid mihi & tibi est mulier? non objurgavit, sed in christi causâ, à conservatore dictum est, sed ut hoc desinat, nos dicant eos esse, qui nobis vinum in nuptiis consumptum esse polliciti simus; tamen abundantia amoris, si vis, ut vinum deficiat, dic ministris, ut ea, quæ jubeo, faciant, tunc perierit, vinum eis non defuturum, quod etiam factum est, igitur verbo Matrem objurgavit, aut castigavit, quæ moravit.* Noverat hoc maximè Virgo Dei Mater, quæ ministris Domini mandatum adimplere jubens: *Quodcumque dixerit vobis, facit,* tantum effecit, ut impletis aqua sex hys ad intercessionem Matris, Filius vinum creaverit, appropinquasset.

mum in terris signum, à Matre rogatus perpetraverit, quod ipsum specialiter adoptavit S. Evangelista. Hoc fecit initium signorum JESU in CANA GALILAE. De hac efficacîa, ac potentîa orationis Mariæ notat S. Antoninus, part. 4. tit. 15. cap. 17. §. 4. Oratio ejus erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem jussionis, & imperii, tum quia impossibile erat, eam non exaudiri. Felix proinde, pro quo Virgo Dei Mater orat, ad cujus nutum, filius recreat mundum.

### CONCEPTUS III.

Creare secundum Theologos ac Philosophos, est facere ex nihilo, sic in principio creavit Deus calum, & terram. Gen. 1. cap. Quia antea præter Deum nihil erat in rerum naturâ. Cor autem impiorum pro nihilo reputabitur. inquit Sapiens Proverb. 10. cap. Tale nihilum, id est graves peccatores fuere Theophilus, Pelagia, Thais, Maria Aegyptiaca, & sexcenti alii. An non isti omnes corda impia, reputata à Deo pro nihilo, Mariâ mediatrice illuminati sunt, & conversi? an non hoc nihilum ad pias Matris preces, Omnipotentia divina, in pretiosas sanctitatis margaritas, in novas JESU Christi creaturas recreavit? hinc reparatricem mundi ac recreatricem profundissimè contemplatus est Virginem Deiparam doctissimus Idiota de contemplat. Virg. cap. 4. Inter omnia opera æterni artificis, operationem illam, quâ natura nostræ unctus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô Beatissima Virgo! qui ad hoc refecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hic enim summus opifex, primò condiderat angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quæ corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta, sed ad hæc omnia fecit te Deum, Virgo Maria sanctissima, ut ex tuo superbenedictio fructu, angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à servitute liberaretur. Dignissima salutari ab universo orbe, verbis S. Andrea Cretensis, ser. de Annunt. B. V. *salve letisia organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudii plena facta compensatio.* Has tibi, m quas

quas possumus, grates rependimus, quas de nihilo peccatorum  
recreasti, potentissima mediatrix, Mater, & Virgo!

#### CONCEPTUS IV.

Nubem, quæ in salutarem pluviam resolvitur, arbores  
& plantæ, flores & herbæ, & omnia terræ germina non immerito  
Matrem, & mediatricem creationis suæ appellare queunt,  
etenim experientia testis est, quòd, dum nubes in aridam ter-  
ram benigne depluunt, variegati flores, odoriferæ herbæ, &  
omnis generis fructus sapidissimi exoriantur. Nubem, quæ in  
salutarem se resolvit pluviam, de mari ascendentem vidit Giesi-  
li, b. 3. Regum cap. 18. *Et ecce nubecula parva, quasi vestigium  
hominis ascendebat de mari, & ecce cæli obsenebrati sunt, & nu-  
bes, & ventus, & facta est pluvia grandis.* Quale mysterium  
in hac parvâ nubeculâ, in tot pluvias conversâ, Spiritus S. in-  
tendit? S. Epiphanius, ser. de laud. Deip. tenet, Virginis De-  
Matris fuisse figuram. *Nubes cælestis, quæ tonitru Spiritus Sancti  
in seipsâ reconditum, & imbrem in universam terram, ad pro-  
ducendum fidei fructum dimittit.* Opinionem hujus S. Am-  
brofius Ecclesiæ Doctor, in Psal. 118, similibus verbis insig-  
ter confirmat. Talem S. Joannes in suâ Apocalypsi cap. 11. vi-  
dit. *Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem  
filium hominis.* Hæc animata nubes candidissima, Virgo De-  
para, de mari amarissimo humani generis exorta fuisse mo-  
strata est. Apoc. 17. cap. *Aqua, quas vidisti, populi sunt, & quo-  
tes, & lingua.* Sicut ergo nubes, quantumvis de mari amara  
ascendentes, nullius tamen marinæ amaritudinis complures  
seu continentes sunt; sic sanctissima Dei Mater, tametsi de ama-  
rissimo mari originis, ac seminis Adami exiverit, atque alce-  
derit, nullius tamen originalium imperfectionum amaritu-  
dinis particeps fuit, nec primæ culpæ contraxit nigredinem,  
sed novo gratiæ modo in visceribus genitorum formata, can-  
dore suavis, benignitate amabilis, humano generi miseretur  
exurrexit. Sicut solis lucidissimi radii emissi, humano oculi  
vertant intuitum; talem verò nubem percipientes, in pe-

tiolum; ac per iocundum arcum fœderis, stabilitæ inter Deum & hominem pacis signum convertuntur, humano oculo delectabile exhibent spectaculum, & pacti divini reminiscenciam introducunt. *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Gen. 9. cap. Sic etiam divini solis radius, æterni Patris Filius, inaccessibilis omni humano erat intuitu, usque dum sanctissimæ Dei Matris intrans uterum in pacis conversus est arcum, & cunctis gratiosum se exhibuit spectaculum, atque conclusæ inter nos & Deum pacis præstitit testimonium. Teste Apostolo ad Ephesios 1. cap. *ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unum.* Et quemadmodum nubes densa à solis ardoribus, & damnosis siccitatis effectibus terram defendit: sic sanctissima Dei Mater veluti nubes, irato iustitiæ soli se opponens, ardentissimos ejus radios, & damnosos rigiditatis ejus effectus repellit. Seraphicè attestatur S. Bonaventura. in speculo Virg. *Maria nobis est columna nubis, quia tamquam nubes protegit ab aestu divina indignationis.* Laudabiliter Richardus à S. Laurentio. *Comparatur nubi, quia velut nubes, misericorditer abscondit peccatores ab ardore solis, id est, ab ira filii, & quia obumbrat eos, & ipsos refrigerat ab aestu concupiscentiarum, & velut pluvia quadam gratia, fœcundat eos ad bene operandum.* de laud. B. V. lib. 4. Dicant nunc plantæ nubem Matrem suam, & vegetativæ vitæ recreatricem, longè feliciores nos Mariam Virginem, Matrem Creatoris, & recreationis nostræ mediatricem venerabimur.

### CONCEPTUS V.

Unico verbo *fiat* cuncta de nihilo creavit Deus, omnia hoc solo verbo de nullitatis abyssu evocavit, atque produxit. *Dixitq; Deus: fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. cap. Verbum potentissimum, & efficax, quod *dixit, & facta sunt, quo mandavit, & creata sunt.* Ps. 148. Sed nonne hoc eodem verbo *fiat* longè potentiori, cœlestem nuntium Gabrielem Archangelum Beatissima Virgo absolvit, dum se infimâ humilitate *ancillam Domini* nominans, divinæ petitioni annuit, dicens:



*Fiat mihi secundum verbum tuum.* Luca. 1. cap. Dei fiat, cunctas  
hilo cunctas creaturas reduxit ad esse; Virginis fiat, Crea-  
rem fecit creaturam, & hominem Deum. Observatio hanc  
S. Methodii Martyris dicentis ad illam. Tu Deo alioquin  
rei indigo, carnem, quam non habebat, dedisti: euge Mater Dei  
qui illum habes debitorem, qui omnibus mutuo dat; Deo namque  
debemus universi, tibi vero ille debet. O fiat potens! o fiat  
cax! o fiat super omne fiat, perpetuo honore venerandum! Exi-  
mat S. Thomas de villâ novâ, Conc. 1. de Annunt. Hoc verbum  
fiat factus est mundus, hoc verbo, caelestia terrestriâ, alij  
condidit, sed tale fiat non sonuit in orbe, quale nunc tu beata  
xisti. Et S. Laurentius Justinianus effectus huius fiat con-  
rans ait: Iste unico responso complexit cœlum gaudio, Angelis omni-  
bus exultationem prœbuit, caprevo saculo spem dedit, a dæmo-  
nibus universos exterruit, astantem lætum fecit nuntium, & de-  
tis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit, Adde-  
& mihi liceat; verbo hoc unico fiat omnes creaturas recreat  
potentissima mediatrix, & omni honore dignissima Creatrix  
Mater, Virgo Maria.

Epilogus.

Ad hanc ergo magnam mundi Domīnam clientes  
mi refugium nostrum fumentes, dicamus cum S. Ephraem  
Omnes tibi advolvimur, omnes te imploramus, erue nos,  
merata! ab omni necessitate, à cunctis diaboli tentationibus  
nostra conciliatrix, & advocata, in horâ iudicii, libera nos  
futuro igne, & tenebris, & tui filii gloriâ, Virgo, nos dignetur  
Amen.

### CONCEPTUS V.

Virgo Creatorem genuit, præstatq; favorem.  
Nam miseros recreat, quos Deus ante creat.  
Omnia donavit Matri, qui cuncta creavit,  
Quisquis honorabit, prospera cuncta dabit.

